



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Floremundi Raemundi V. Cl. Olim Consiliarii Regis
Galliarvm Ex Calviniano Catholici Synopsis Omnium hujus
temporis Controversiarum tam inter Lutheranos,
Calvinistas quam alios plurimos. Sive Historia ...**

Raemond, Florimond de

Coloniae Agrippinae, 1655

IV. Quomodo iidem discrepent inter se.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10880

electi à Deo, id est, vocati sint ad obediendum Euangelio, & sic ad beneficia Euangelio promissa consequendum eâ ratione ac via, quæ Euangelio continetur ac præscribitur: siue denique uocationi iam factæ refragentur, quo sensu *diligi* adhuc Iudæi increduli dicuntur *secundâ Electionem* Rom. 11. & passim populus Israeliticus non obstante eo, quod rebellione & contumacia sua Deum subinde fatigaret, *electus tamen Dei populus* passim in V. T. vocatur. Vel, quia totus aliquis populus, qui antea expers fuerat gratiæ & uocationis Euangelicæ, quasi ex communi & vulgari illo statu (citra vllam ad alios populos præteritos relationem) euocatur & eximitur ad participandum excellentem & priore longè digniorem statum: quo sensu Gentiles Apostolus Petrus 1. Epist. 2.9. *ἐκλεκτοὶ* appellat, quia cum antea populus non essent, populus facti erant, uti versu sequenti, exponitur.

Secundo, Electionis vox significare aliquando solet specialem aliquam dignationem & separationem personarum, vel ad specialem aliquod munus & officium gerendum, quo sensu Luc. 6. 13. *elegisse duodecim Apostolos* dicitur Christus, vel ad prærogatiuam aliquam & dignitatem siue eminentiam supra alium, citra omnem tamen exclusionem à salute æternâ alterius ira non electi; quo sensu tribuitur Deo cum de Iacob & Esau agitur Rom. 9. vers. 11. *Proposuit secundum electionem*, quia scilicet dixerat, vel, ut textus habet, vocauerat, id est pro suo arbitrio pronunciauerat, *Maior seruius minori*, & alibi, *Iacob dilexi, Esau odio habui*.

Tertio, Electionis vox significare solet destinationem peremptoriam ad æternam vitam & beatam immortalitatem, & hoc sensu ferè semper à Theologis in hac materia accipi solet, cum dicunt: *Electi simpliciter*.

Iuxta hanc triplicem vocis electionis significationem, triplex etiam statuatur necesse est vocis Reprobationis significatio, 1. à gratiosa uocatione quæ per Euangelium fit. 2. à gratia specialis alicuius prærogatiuæ & dignitatis supra alios, 3. à gloria siue felicitate æterna.

Et in hisce quidem, quoad summam rei conueniunt vnanimiter ferè Theologi Calviniani.

IV. Discriminantur vero inter se duobus ferè modis, 1. obiecti ipsius formalis circa quod tum Electio tum Reprobatio versari creditur, consideratione, 2. ratione ordinis, quem Deus in actibus tum eligendi tum reprobandi, quibus circa obiectum versatur, obseruat & vsurpat.

De obiecto torferè sunt inter eos, qui Contra-Remonstrantes dicuntur sententiæ, quot capita, eæque tam diuersa, tam longè à se inuicem disticta, vt auctores ipsi inter se contendant, Ex vna sequi Deum insipienter agere, ex altera Deum iniuste, inique, & Tyranni in morem agere. Alia tantæ sit subtilitatis, vt propria sua vanitate euanescat. Alij enim obiectum Electionis & Reprobationis statuunt homines communiter & indefinite consideratos, alij vt condendos, alij vt conditos, alij vt lapsos, alij vt condendos, conditos, lapsos simul, alij vt saluabiles, damnabiles, creabiles, labiles, reparabiles; tam multiplici profecto discrimine, vt in perplexissimis labyrinthis hæere sese experiat, quisquis in istas variantes Theologorum Contra-Remonst. etiam eorum qui in hoc Confessu comparent, opiniones atque placita incidit.

Remonstrantium vero sententiam quod attinet, vniformiter & simpliciter statuunt, iuxta Euangelij ipsius formulam, obiectum diuinæ & quidem peremptoriæ Electionis ad æternam gloriam primum & ad æquatum esse, Omnes & solos auxilio diuinæ gratiæ credentes in Iesum Christum & in fide illa vera perseverantes vel morientes? Catholici addunt, & Mandata Dei ac Ecclesiæ obseruantes.

Contra vero Reprobationis peremptoriæ ad æternum & lamentabile exitium obiectum primum & ad æquatum esse, omnes & solos infideles, id est, vel ab incredulitate sua desistere nolentes, vel in fide vera non perseverantes, (Catholici iterum addunt: aut si fidem retinent, & secundum illius dictamen non vivant.)

V. Vt hæc sententia Remonstrantium plenissimè intelligatur, nonnulla propius elucidant Remonstrantes.

Ac primum quidem cum de Prædestinatione, quæ vtramque partem, id est tum Electionem tum Reprobationem, complectitur, agunt Remonstrantes, dupliciter ferè eam accipere solent. Primum vt significet Decretum illud diuinum generale, quo constituit pro liberrimo suo arbitratu credentes saluare, incredulos reprobare, id est, ex multis possibilibus vnâ certam quandam rationem in mente sua designare & statuere, secundum quam saluare velit & damnare. Secundo vt significet decretum diuinum speciale, quo constituit iuxta præcedens illud decretum hos saluare, illos perdere, id est, hos consideratos vt